



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Capvt II. De Peccatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

quod non faceret, si duobus æquale jus ad aliquid haberet, totum uni tribueret, quia sic personarum acceptionem committeret contra juris regulam 12. n. 6. ubi dicitur, *In iudiciis personarum acceptionem habendam non esse*, quare in tali casu, vel compositionem aliquam æquam consentaneam litigantibus suadere debet; vel etiam mutare potest; vel uni dimidium, alteri dimidium alterum juris aut rei, de qua lis est, adjudicare.

CAPVT II.

De Peccatis.

SECTIO I.

Quid sit Peccatum.

QVÆSTIO proposita intelligenda est non de peccato originali, quod aliena culpa contrahitur, de quo in priori hujus operis parte tractatum est, sed de peccato actuali, quod proprio voluntate incurritur. Hoc autem peccatum definitur à S. Augustin. Lib. 22. cont. Faust. cap. 27. *Factum est, vel concupitum, contra legem Dei æternam*, & à S. Thomas 1. 2. q. 71. a. 6. dicitur, peccatum commissionis nihil aliud esse, quam actum humanum malum, & à recta ratione devium.

Quod ut clarius intelligatur, observandum est, ad rationem peccati duo præsertim requiri; nimirum; ut talis actus sit humanus, id est, voluntarius & liber; deinde, ut sit malus & pravus, id est, ut careat debita commensuratione ad suam regulam: regula autem actus humani propria est recta hominis ratio; (ut supra dictum est) remota vero, sed principalis ac primaria, est ipsa lex æterna, quæ per naturalis rationis lumen cuique manifestatur, dicente apostolo Roman. 2. quosvis homines gestare *Opus legis*

scriptum
ipsum
dictis de
ad substantia
teriale?
eiusdem
committit
vatio re
æterna,
actum h
Peccatum
de civit
humanam
illa effect
cap. 7. g
Ansel. l
Non est,
sed tant
Obs
compre
omissio
ad 1.)
ideoque
debet
de aliis
Obs
ad 5. p
verò à
rant fo
gi verò
quod
Dei o
ne S.
ut
scriptum

scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia
 ipsorum. Atque ideo S. Augustinus & S. Thomas in supra
 dictis definitionibus primo posuerunt id, quod pertinet
 ad substantiam actus humani, tanquam ipsius peccati ma-
 teriale? deinde id, quod pertinet ad rationem mali? ut
 eiusdem peccati formale. Ratio enim formalis peccati (ut
 communiter docent Theologi nihil est aliud, quam pri-
 vatio rectitudinis illius? quam homo ex præscripto legis
 æternæ, & dictamine rectæ rationis inducere tenetur in
 actum suum: unde idem S. Aug. tract. 1. in S. Ioan. dicit
Peccatum esse nihil, quia per verbum factum non est: & lib. 12.
de ciuit. cap. 7. Nemo, inquit, querat causam efficientem
humanæ voluntatis? non enim est efficiens sed deficiens? quia nec
illa effectio est, sed defectio. S. Ambr. lib. de Isaac & anima
cap. 7. Quid est, inquit, malitia, nisi boni indigentia? & S.
Ansel. lib. de concordia præscientiæ cum lib. arbit. cap. 1.
Non est, inquit, iniustitia qualitas, aut actio aut aliqua essentia,
sed tantum absentia debita iustitiæ.

Observandum est præterea, in præfatis definitionibus
 comprehendi peccata, non solum commissionis, sed etiam
 omissionis: nam (ut rectè docet S. Thom. supra in resp.
 ad 1.) affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus,
 ideoque in illa definitione per factum, etiam intelligi
 debet non factum; per dictum, non dictum; & sic
 de aliis.

Observandum denique ex eodem S. Doctore in resp.
 ad 5. peccatum alia ratione considerari à Philosophis, alia
 verò à Theologis. Philosophi siquidem peccatum confide-
 rant solummodò prout rectæ rationi aduersatur? Theolo-
 gi vero ulterius progrediuntur, & in peccato attendunt,
 quod sit contra Dei voluntatem ac legem, adeoque ipsius
 Dei offensa quædam & iniuria: unde in peccati definitio-
 ne S. Aug. rectè dixit, illud esse contra legem Dei æternam
 ut præcipuam, & maximam ipsius peccati de-
 formitatem ob oculos
 poneret.

SECTIO II.

Virum dentur quadam peccata mortalia
& venialia.

NOMINE peccati mortalis intelligitur illud, ratione cuius homo gratia sanctificante privatur, & aeterna damnatione puniri meretur; nomine verò venialis illud quod quamvis peccatum sit, nihilominus neque gratia sanctificante privat hominem, neque damnatione aeterna dignum reddit.

Est autem certum ex fide, dari quaedam peccata mortalia; quaedam item peccata venialia. Atque in primis quaedam peccata aliqua mortalia in confesso est apud omnes, & manifestè constat ex scriptura, quae variis in locis restatur damnationem, seu mortem aeternam pro quibusdam peccatis incurri: ut Eph. 5. *Omnium fornicator, aut inmundus, &c. non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* 1. Cor. 6. 21. *Homicidium, & fornicationibus; &c. pars illorum est in stagno ardenti igne & sulphure.*

Quod verò etiam quaedam peccata sint tantum venialia, probatur 1. ex eadem scriptura: Proverb. 26. *Septies cadet justus: 1. S. Ioan. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est:* quo loco S. Ioannes loquitur de peccatis iustorum, ob quae iusti non desinunt, & quae proinde cum gratia sanctificante stare possunt, ut asserit S. Aug. Lib. de nat. & grat. c. 36.

Probatur 2. ex Concil. Milev. can. 7. ubi dicitur non solum peccatoribus, sed etiam iustis hanc orationis Dominicæ petitionem convenire; *Dimitte nobis debita nostrorum peccatorum, & sanctos in levia saltem & quotidiana, quae etiam dicuntur venialia, peccata quandoque cadere.*

Certum est praeterea discrimen peccati mortalis & venialis desumendum esse non ex eo quòd (ut asserunt haeretici) peccata omnia praedestinatorum, aut fidelium venialia

venialia sint, reprobatorum verò, aut infidelium mortalia; sed ex propria ratione, & natura ipsorummet peccatorum.

Id probari potest 1. ex scriptura, quæ (ut supra dictum est) declarat peccata quædam æterna morte digna esse, ac proinde mortalia, quædam verò venialia, sine ulla relatione ad prædestinationem, aut reprobationem, vel ad fidem, aut infidelitatem peccantium; imò expressè testatur, quosdam prædestinatos, & fideles peccasse mortaliter, v. g. Davidem cum perpetravit adulterium, quod haud dubie peccatum mortale fuit, ut docet S. Ambrosius lib. 2. de Abolito David cap. 16. S. Petrum cum ter Christum negavit, in quo peccavit mortaliter, teste S. Aug. tract. 66 in S. Ioan. ubi dicit, illum in ista negatione timendo corporis mortem, animæ mortem incurrisse.

Probatum 2. ex Bulla Pii, V. & Gregorii XIII. quæ per Urbanum VIII. renovata est, in qua damnata est hæc propositio Michaëlis Baij; *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne meretur pœnam æternam.*

Probatum 3. ex eo quòd, si peccata omnia prædestinatorum essent venialia, sequeretur prædestinatum gratiam iustificationis amittere non posse, cum per solum peccatum mortale amittatur: quod tanquam falsum & hæreticum damnatum est in Concil. Trid. sess. 6. can. 3.

Quæres, quænam sit propria & formalis ratio, per quam peccatum mortale à veniali differat. Respond. varias esse super hac quæstione Theologorum sententias. Quidam enim existimant in eo differre, quòd peccatum mortale sit contra præceptum, veniale verò contra consilium. Alii, quòd mortale sit contra legem, veniale verò præter legem. Alii probabilius, quòd peccatum mortale tollat ordinem ad ultimum finem, quia tollit charitatem & gratiam, qua homo ad Deum ordinatur, & illi tanquam ultimo fini coniungitur; veniale verò non tollat ordinem ad finem, cum non tollat charitatem; sed tantum ad media, quia ponit inordinationem in actione humana, quæ ad Deum referri deberet tanquam ad ultimum finem, nec tamen

tamen potest, cum peccatum non possit in Deum referri. Alij denique probabilissimè asserunt, rationem formalem distinctivam peccati mortalis a veniali in eo consistere, quod in quolibet peccato mortali reperitur contemptus Dei vel expressus, vel tacitus seu interpretativus, quod ex plerisque scripturæ locis colligitur, in quibus conqueritur Deus se à peccatoribus sperni & contemneri, ex quo sequitur dissolutio charitatis, & amicitia, quæ inter Deum & hominem intercedit? in peccato autem veniali non reperitur, nec proinde ipsius charitatis & amicitia diuinæ dissolutio; sicut in amicitia humana leues ad eam offensa licet ipsi displiceant, non tamen vsque ad contemptum procedunt, nec proinde amicitia vinculum & unionem dissolunt.

SECTIO III.

*Quaratione peccata mortalia. & venialia
inter se dignosci possint.*

QVAMVIS, vt sect præ diximus, certissimum sit, & scripturis apertissimè constet, peccata mortalia & venialia inter se differre? quam tamen peccata in specie, aut in indiuiduo mortalia sint, & à regno cælorum per totam æternitatem excludant? quam sint venialia & perversionem ad illud pro determinato tantum tempore impediunt, ex solo proprio & particulari iudicio certissimum est in venire, (vt cum S. Aug. lib. 21. de ciu. cap. loquamur) & periculosissimum definire.

Quia tamen ad Sacerdotis officium spectat distinguere lepram à lepra, nec iustam in pœnitentiæ Tribunalis sententiam ferre potest, nisi gravitatem, aut leuitatem illorum dignoscat? idcirco, vt in re obscurissima lucem aliquam afferamus, quasdam hic obseruationes communitè à Doctoribus receptas & à SS. patribus approbatas proponemus, quibus in quolibet casu peccatum mortale

veniali dignoscere quiuis probabiliter, & tuto poterit Ad
tam igitur distinctionem peccati mortalis & venialis fa-
cendam.

Observandum 1. quædam peccata ex genere suo mor-
talia esse; & grauem habere cum recta ratione, & lege Dei
repugnantiam, ut periurium, homicidium, &c. quædam
vero repugnantiam illam grauem cum recta ratione, &
lege Dei non habere. proindeque ex genere suo non esse
mortalia, sed tantum venialia, cuiusmodi sunt illa de qui-
bus loquitur S. Aug. serm. 4. de ant. defunct. *Quoties ali-*
quis in cibo & potu plus accipit, quam necesse sit: quoties plus lo-
quitur quam expetit: quoties pauperem importunè perueniẽ exas-
perat; & similia quam plurima, qua ibidem enumerat Quo-
tam vero in dignoscendis huiusmodi peccatis, quæ ex
genere suo mortalia, vel venialia sunt, quiuis plerumque
proprio sensu falli & decipi posset, duæ regulæ communi-
tè a Doctoribus assignantur, secundum de qualitate cu-
iuscunque peccati ferri potest.

Prima regula ex scripturis habetur; quando scilicet sa-
cz literæ tradunt peccatum aliquod à regno Dei exclu-
dere, æterna morte peccatorem dignum efficere, inimicũ
Dei constituere; ex his, & similibus loquendi modis
statè infertur, peccatum eiusmodi ex genere suo esse mor-
tale. Et hac regula utitur S. Aug. Enchiridio cap. 78. ubi
dicit quod quædam peccata *levissima putarentur, nisi in scri-*
pturis demonstrarentur opinione grauiora.

Secunda regula ex comuni Ecclesiæ & Doctorum con-
sensu desumitur; quando enim ex scripturæ terminis non
claret liquet, vtrum peccatum aliquod ex genere suo mor-
tale, vel veniale sit, videndum quid sentiant Ecclesiæ Do-
ctores: si enim vnanimi consensu doceant peccatum ali-
quod ex genere suo esse mortale, pro mortali habẽdum est
veniale, pro veniali; quod si in aliquo inter se dissen-
siant, pars probabilior & tutior, aut saltem probabilis, &
tuta eligenda est.

Observandum secundò, peccata quædam ex genere
suo

fuo mortalia, posse duobus modis fieri venialia, scilicet vel ob levitatem materiae, vel ob imperfectionem actus. Ita ex communi Doctorum sententia Nav. praesud. 9. num. 12. Vtrumque hunc modum attingit S. Aug. lib. de ma. grat. cap. 38. Vbi de iustis venialiter peccantibus loquitur dicit, *Sape in levissimis, & aliquando incautis ipsis obrepere peccatum.* Hinc inferitur, furtum v. g. quod ex genere suo mortale est, ratione levitatis materiae fieri veniale, si res sumpta ablata sit vilissima & perexigui pretii: similiter iram, quae ex genere suo mortalis est, propter imperfectionem actus fieri venialem; si aliquis v. g. ex imperfecta rationis advertentia & deliberatione vindictam aliquam gravem appetat Quod ut clarius intelligatur.

Observandum 3. motus voluntatis, & aliarum potentialium in triplici esse differentia. Alii enim sequuntur plenam & perfectam rationis advertentiam, & deliberationem: cum scilicet homo plene advertit se aliquid cogitare, appetere, aut exterius operari, quod est malum atque illicitum, & nihilominus in illa cogitatione, appetitione, aut actione persistit; tunc enim dubium non est, quin peccet mortaliter, si materia sit ad mortale peccatum sufficienti.

Alii ante omnem rationis advertentiam oriuntur, quos vocantur primo primi: cum scilicet vel ex demonis suggestionem, vel ex re aliqua in sensus exteriores incurrente, ex alia quavis dispositione naturali exoritur v. g. per aliquam cogitationem, unde voluntas, vel appetitus sensus naturaliter in propositum objectum movetur. Et hi omnes omni culpa carent, cum in hominis potestate non sit quis enim (ut loquitur S. Aug. Lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Peccatum in eo, quod cavere in nullo modo potest:* unde S. Greg. Papa in sponione 10. ad Augustinum Anglorum Episcopum dicitur habetur cap. Sed pensandum dist. 6. expressè dicit: *Peccatum perfici, cum in delectationis motum ex deliberatione fit sensus:* cum igitur in illis motibus primo primis nullus deliberationis locus, nullus etiam erit confessionis, proinde peccato: & idem S. Aug. de motibus illicitis app

titus inferioris loquens, dicit illos absq; culpa esse, quando nullus eis præbetur consensus: at qui motibus eiusmodi primo primis nullus præbetur consensus, cura deliberationem omnem præcedant, quæ tamen iuxta doctrinam S. Thomæ 1.2. q. 74. a. 7. ad 1. ad consensum necessario prærequiritur: ergo secundum mentem S. Augustini eulmodi motus omni culpa vacant.

Alii denique motus, quamuis perfectam rationis ad advertentiam & deliberationem antecedant, sequuntur tamen advertentiam aliquam & considerationem imperfectam adeoque fiunt cum consensu imperfecto, & (vt ita loquamur) semiplenè deliberato: qualis consensus esse solet in semidormientibus, vel etiam in vigilantibus? sed animum passione aliqua iræ, timoris, &c. perturbatum, aut aliquibus alijs cogitationibus implicatum habentibus: vt ad illius motus, v. g. delectationis qua afficiuntur malitiam plenè non advertant: & sic non nisi imperfectè & leuiter, id est; venialiter, delinquant. Ita Maior in 3. dist. 73. quæst. 14. Nav. prælud 9. num. 11. & alij communiter, quibus accedit autoritas S. Aug. lib. 6. cont. Iulianum cap. 9. & 10. ubi loquens de motibus inordinatis concupiscentiæ, *Sine peccato, inquit, semper essemus, donec sanaretur hoc malum (concupiscentiæ scilicet) si ei nunquam consentiremus ad malum: sed in quibus ab ipso rebellante, et si non lethali-ter, sed venialiter tamen vincimur, in his contrahimus unde quotidianè dicamus, amitte nobis debita nostra.* Ex quibus verbis habetur hominem erga motus concupiscentiæ insurgentes tripliciter se habere posse; sine peccato, si nullo modo consentiat; cum peccato lethali, si deliberatè consentiat; cum peccato lethali, si deliberatè consentiat; cum veniali, si consentiat quidem, sed imperfectè, & cum semipleña deliberatione.

Observandum 4. peccatum ex genere suo veniale, quinque; præsertim modis posse fieri mortale, ut ex iis quæ cap. præced. dicta sunt colligi potest. Primò, si fiat ex conscientia erronea arbitrante peccatum illud esse mortale, quamvis reuera non sit. Secundò si ordinatur ad aliquod

P

morta-

mortale e.g. si quis verbum otiosum dicat, ut alium indecat ad peccandum mortaliter. Tertio si in ipso peccato veniali, v. g. amore inordinato alicuius rei, finem ultimum constituat: quod fit (ut docet Tolet. Lib. 3. c. 1. 2.) cum quia ira veniale aliquo actu exequitur, ut paratus esset, si mortalis esset illi exequi. Quarto, si ex commissione deliberata alicuius peccati venialis sequatur aliquod grave scandalum quod peccator securum prouidit, aut prouidere potuit & debuit. Quinto denique, si transgressio aliqua, vel inobedientia ex se venialis, committatur ex formali contentu, legis vel legislatoris.

Quæres an ex pluribus peccatis venialibus constari possit vnum mortale. Resp. cum S. Doctore q. 88. a. 4. id fieri non posse, alias inde sequeretur contra expressam Conc. Trid. doctrinam Sess. 14. cap. 5. nos per venialia peccata excludi posse à gratia sanctificante.

Obiicies, ex multis venialibus furtis posse constitui furtum mortale: e.g. ponamus furtum viginti assium esse quantitatem ad peccatum mortale sufficientem: si quis singulis diebus unum assum accipiat, prima & secunda vice aliisq; sequentibus solum venialiter, vigesima autem mortaliter peccabit.

Resp. furtum illud vltimum esse peccatum mortale, non quod ex illo & aliis præcedentibus coalescat, & consistet mortale illud peccatum, sed quia in hoc vltimo furtum continetur expressa, vel tacita volitio simul in iustitiam retinendi hunc vltimum assum novendecim precedentibus quæ quantitas cum ex hypothesi sufficiat ad mortale, hinc fit, ut vltimum furtum censeatur esse mortale.

Cæterum, quamuis peccata venialia quantalibet numero peccato mortali æquiponderare nunquam possint, tamen verissimum (quod docet S. Thomas) art. 3. venialia peccata, illa præsertim quæ ex deliberata voluntate committuntur eâtenus disponere ad peccatum mortale, quatenus assuescit humana voluntas illa committere diuinæ legi in minoribus non subiici; vnde paulatim ipsius diuinæ legis iugum in maioribus & grauioribus excutiendum propensior fit, iuxta illud Eccl. 19. *Qui spernit*

madica, paulatim decidet: quo sensu rectè dixit Sanctus Augustinus serm. 244. de temp. Noli despiciere peccata tua quia parua sunt; nam & pluviarum gutta parua sunt, sed flumina implent, & arbores cum suis radicibus tollunt, Tu qui dicis, quia parua peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot paruulas plagas in corpore, & maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis, cum ergo nec in corpore plagas, nec in veste scissuras vel maculas fieri acquiescis, quã conscientia hoc facere in anima tua non metuis;

SECTIO. IV.

Vndenam specifica, vel numerica peccatorum distinctio petenda sit.

QUONIAM in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5. & can. 7. definitum est, omnia & singula peccata mortalia post Baptismum commissa (quorum memoria post diligentem sui discussionem haberi potest) esse in confessione declaranda; simul etiã circumstantias, quæ peccatum speciẽ mutant; vt pœnitẽs hoc præstare, vel illũ ad id præstandum confessarius iuuare possit; necessarium est inquirere, vndenam specifica, vel numerica peccatorum distinctio oriatur.

Atq; in primis quod spectat ad specificã peccatorum distinctionem, dicendũ est, illam præsertim ex obiecto formali cuiusq; peccati desumendam esse, docet S. Tho. q. 72. a. 1. ita vt peccata illa specie inter se distincta censeantur, quorum obiecta formalia oppositionem habent cum perfectionibus moralibus specie diversis, quibus ipsa peccata priuant: cùm enim peccatum formaliter consistat in priuatione rectitudinis, seu perfectionis alicuius moralis, vt sect. 1. dictum est sequitur cuiusque peccati formalem, & specificam ab altero distinctionem desumendam esse ex ratione specificã rectitudinis illius & perfectionis qua priuat: priuationum enim specifica

distinctio (ut docent Philosophi) non aliunde petitur, quam ex distinctione specifica formarum, quibus privantur.

Hinc colliges 1. peccata illa esse inter se specie diversa, non modò quæ virtutibus specie diversis adversantur, sed etiam quæ eidem virtuti sub diversa tamen formali ratione repugnant. e.g. perjurium, & voti prævaricatio specie inter se differunt, quia eidem virtuti religionis, sub diversa tamen formali ratione opponuntur, ut plenius intelligetur ex iis, quæ in explicatione primi & secundi præcepti Decalogi dicenda sunt.

Colliges 2. circumstantias illas speciem peccati mutare, aut peccata specie distincta multiplicare, quæ novam & specie distinctam deformitatem in actum peccati inducunt: e.g. ille qui vovit se singulis diebus veneris jejunaturum, si jejunium illud tempore quadragesimæ infringat, duplex specie peccatum, licet numero unicum, committit: quia in illius actu duplex deformitas specie distincta reperitur, una quidem contra obedientiam Ecclesiasticam legibus debitam altera verò contra virtutem religionis, cuius est vota edere, ac edita fideliter adimplere; idcirco circumstantia illa voti in confessione declaranda est.

Quod spectat ad distinctionem numericam ipsorum peccatorum, dicendum est tot esse numero distincta peccata, quot sunt actus voluntatis moraliter interrupti & repetiti. Ita S. Thom. in 2. dist. 42. q. 1. a. 1. & post illum Suarez part. 3 tract. 4. disp. 22. sect. 5. Nav. cap. 6. num. 16. Azor. Tract. 1. lib. 1. c. 1. & alii. Cum enim voluntas sit principium actuum voluntariorum bonorum & malorum, nec ullum sit peccatum, nisi in quantum ab ipsa voluntate deliberatè procedit; hinc sequitur, peccatorum numerum in tantum multiplicari, in quantum ipsius voluntatis actus moraliter interrupti repetuntur.

Quæres, quando-nam voluntatis actus censeantur moraliter interrupti, ita ut per illorum repetitionem peccata numero multiplicentur. Respond. actus voluntatis moraliter interrupti, quoties nec formaliter, nec virtualiter perseverant: unde qui proficiscitur ad furandum, &

occidendum inimicum, quamvis in via furandi, vel occidendi propositum saepius repetat, non censetur nisi unum numero peccatum committere: secus vero, si hæc prior voluntas furandi somno interrumpatur, & postea renovetur & repetatur; tunc enim aliud peccatum numero distinctum committitur, ut docent supra citati auctores. Quod si numerus actuum illorum voluntatis interruptorum, & repetitorum tantus sit, ut illum inire moraliter impossibile sit; tunc satis erit in confessione temporis moram declarare, eo modo, quo dictum est, tract. I. hujus post. part. c. 5, sect. 14.

SECTIO V.

De peccatis commissionis & omissionis eorumque variis gradibus.

DOCET S. Thomas quæst. 72. a. 6. & ante illum docuerat S. Aug. lib. de perfectione justitiæ cap. 11. peccatum omne duobus admitti; si nimirum aut illa fiant quæ prohibentur, & hoc est peccatum commissionis; aut non fiant quæ jubentur, & istud est omissionis. Hæc est autem præcipua inter utrumque differentia: quod peccatum commissionis opponatur præcepto negatiuo, cuius est ea conditio iuxta doctrinam S. Thomæ 12. q. 33. a. 2. ut omni tempore obliget; peccatum verò omissionis opponatur præcepto affirmatiuo, quod non omni, sed certo tantum & determinato tempore obligat, ut plenius & distinctius infra in explicatione Decalogi declarabitur.

Iam circa peccatum omissionis obseruandum est, illud incurri, non solum quando quis aduertenter vult omittere id ad quod faciendum obligatur, iuxta illud S. Iacob. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*; sed etiam quando vult aliquid facere, ex quo secururam esse omissionem aduertit, aut aduertere potest aut debet: quæ quidem actio quatenus est causa peccati omissionis, est peccatum

peccatum, non tamen ab omissionis peccato distinctum, juxta probaliorem sententiam Theologorum, quam fuisse probat. Isamb. Ad qu. 71. disp. art. 4. & 5. unde sequitur in confessione satis esse, ut quis v. g. declaret se die festo Missam omisisse, nec ulterius teneri ad explicandum, quoniam actio illius omissionis causa fuerit, si actio illa ex se mala non sit.

Quod verò spectat ad peccatum commissionis, tres sunt præcipui illius gradus; aliud enim committitur corde, aliud opere, ut docet S. Thom. art. 7. & aperte constat in scriptura: S. Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes male & quæ coinquinant hominem: Psalm. 14. qui non egit dolus in lingua sua; nec fecit proximo suo malum.* Rursus peccata cordis seu purè interna tribus præsertim modis committuntur, cogitatione, scilicet, delectatione, & consensu in opus malum. Quòd enim sola cogitatione peccati possit, & quis advertenter & liberè opinioni alicui ab Ecclesia præscriptæ & damnatæ adhæret; per se patet juxta illud Sap. *Perversæ cogitationes separant à Deo.* Quòd item non modo consensus in opus aliquod malum, (de quo nullus ambigit) sed etiã quòd sola delectatio de ipso opere malo (quæ Theologi morosam vocant) sit peccatum, docet S. Thom. 4. 74. a. 8. & cum illo Theologi omnes: & olim expressè S. Aug. lib. 12. de Trinit. c. 12. ubi sic loquitur: *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur, se peccata, per mediatoris gratiam remittantur.*

Ratio; qua S. Doctor probat, hæc est; quòd talis est delectatio, quale est ejus objectum: atqui quando quis delectatur de opere aliquo malo prout malum est, objectum delectationis illius est malum: ergo delectatio illa erit mortalis; mortaliter quidem, si de re aliqua mortaliter male delectetur, ut cum quis cogitat de fornicatione, & advertente de illa sic cogitata delectatur: venialiter autem, si res illa sit solum venialiter mala; ut cum quis cogitat, & cogitando delectatur de re aliqua otiosa.

Ex quo sequitur, quod si quis, non de opere malo ut malum est, sed de aliqua illius circumstantia quæ per se mala non est, delectaretur: v. g. si cogitans de homicidio alicujus hominis delectaretur, non quidem de morte illius, sed de modo quo mors ei illata est, seu de dexteritate homicidæ in homicidio perpetrando; non peccaret mortaliter, ut docet S. Thomas supra.

Est autem hic observandum 1. ad hoc ut delectatio de re aliqua mala sic peccatum mortale, duo requiri; quod rectè docet & probat Isamb. Ad quæst. 74. disp. 5. Primum est, ut homo advertat, non solum de tali re delectari, sed etiam delectationem illam malam esse & illicitam; vel saltem id adverterit, quando delectationi causam culpabilitate dedit. Secundum est, ut illam rationis advertentiam sequatur consensus vel expressus vel tacitus: ut enim rectè docet S. Aug. supra, illicitæ delectationes non solum per consensum expressum admittendæ non sunt, sed etiam, ut attigerunt animum, respui debent: unde secundum illius mentem peccatis, non modo qui delectationi alicui de re mala positivè seu expressè consentit; sed etiam is qui tacitè, id est, qui delectationem illam, cum possit reprimere, negligit: quod etiam docent Sanctus Antoninus & plures alii, quos citat & sequitur Vasques disput. 108. capit. 2.

Observandum 2. delectationes illas de opere aliquo malo, si coniungantur cum efficaci voluntate operis illius perpetrandi, ejusdem esse speciei cum ipsomet opere, si perpetraretur, juxta dictum Christi Domini S. Matth. cap. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam machatus est eam* proindeque in tali casu declarandas esse in confessione circumstantias illas, quæ speciem peccati mutarent, si actu commissum fuisset; verbi gratia an de simplici fornicatione aut adulterio &c. delectatus fuerit. Quod si nulla subsit voluntas committendi tale peccatum, sed in solam delectationem feratur consensus, tunc probabile est (quod docent Vasques, Azotus, & alij apud Laymannum) Lib. 1. tract. 3. cap. 7. omnes

P 4 ejus-

eiusmodi delectationes eiusdem esse speciei, quando eodem & simili motivo oriuntur; proindeq; illum, qui sola cogitatione delectaretur turpiter, v.g. de fornicatione, adulterio &c. ex solo delectationis eiusmodi percipiendi motivo, ac sine ullo consensu in actionem ipsius peccati non teneri ad declarandas in confessione circumstantias personarum & alias similes, quæ peccati illius, si admitteretur, speciem mutarent; sed satis esse, si tantummodo ipsum in turpem cogitationem consensum multiplicet.

SECTIO VI.

Quanam sint cause peccatorum.

CERTVM EST causam primam & præcipuam peccati esse voluntatem, quæ à divinæ legis regula libere deflectit: ut enim rectè dixit S. Aug. Lib. de duab. anim. cont. Manich. c. 11. *Peccatum sine voluntate esse non potest: in omni mens apud se divinitus conscriptum legit: sed præter ipsam voluntatem sunt etiam aliæ quædam causæ ad peccatum moventes & inducentes tum externæ tum internæ: de quibus quæritur quanam illæ sint. Pro cuius quæstionis resolutione,*

Dicendum 1. duas esse causas externas ad peccatum moventes & inducentes, diabolum scilicet, & mundum. Atque in primis quod diabolus per suggestiones suas ad tentationes ad peccandum moveat & inducat ex scriptura manifestum est: Sap. 2. *Invidia diaboli mors introiit in orbem terrarum: 1. S. Pet. 5. Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: ex qua mendiaci tentatione nulla sequitur in voluntate peccandi necessitas, sed remanet semper libertas & potentia illi resistendi, ut docet S. Thom. q. 75 a. 3. juxta illud S. Iob. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

Quod spectat ad mundum, si illius nomine juxta mentem

em S. Augustini *In Ps. 54.* intelligamus homines impios iniquos, certum est etiam illos sive pravo exemplo sive suasionibus nefariis aliquando ad peccatum alios inducere: Eccli. 13 *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea & qui communicaverit superbo, induet superbiam.*

Dicendum 2. repudiandam, imò execrandam esse blasphemiam hæreticorum dicentium Deum esse causam & authorem peccati præter ea quæ contra hanc impietatem diximus in priori huius operis parte Tract. 2. c. 4. sect. 2. illam denuò refellimus ex scriptura: psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es:* S. Iacob. 1. *Deus intentator malorum est ipse autem neminem tentat.* Item ex S. Basilio qui hanc hæresim refutavit homilia integra, cui titulus est: quod Deus non sit author malorum; vbi probat & què impium esse dicere Deum esse authorem peccati, ac Deum non esse.

Obiiciunt 1. hæretici illud Ephes. 1. *Deum operari omnia secundum consilium voluntatis suæ,* ergo etiam peccata.

Respondet S. Hieronymus super illum locum. id intelligendum esse, *Non quod omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate & consilio peragantur? alioquin & mala Deo possent imputari; sed quod uniuersa quæ facit, consilio faciat & voluntate.*

Obiiciunt 2. in pluribus scripturæ locis dici, Deum peccatores indurare; excecere, &c.

Respondet S. Aug. Lib. 1. ad simplicia. Deum indurare, & excecere, *Non impertiendo malisiam, sed non impertiendo gratiam.* specialem scilicet & efficacem, ut constet ex dictis in tract. de Gratia.

Obiiciunt 3. scripturam variis in locis affirmare quædam peccata committi ex Dei voluntate, ordinatione, præcepto, &c.

Respondetur his & similibus loquendi modis solummodo intelligi, Deum permittete peccata, & prauis impiorum voluntatibus tanquam instrumentis vti ad exercendos iustos, vel ad infligendas pœnas, quas ab æterno infligere decreuit. Ita enim S. Augustinus; & plures alii

SS. Patres, (quos fusè citat Bellarminus,) loca illa scriptura
interpretantur.

Objiciunt 4. Deum positivè concurrere ad actum peccati simul cum peccatore; unde sequitur simul cum eo esse causam illius.

Resp. Deum positivè concurrere ad actum, non verò ad ipsius actus defectum, seu ad privationem rectitudinis quæ in ipso actu reperitur, in qua sola privatione consistit ratio formalis ipsius peccati, ut ex antè dictis constat: proinde, licet sit causa ipsius actus, non est tamen causa defectus qui in illo reperitur; sicut facultas motrix est eadem causa ambulationis, non verò claudicationis quæ ex solo tibi defectu provenit: unde S. Thom. q. 79. a. 2. dicitur peccatum tribuendum esse causæ non efficienti, sed deficienti, qualis est solus homo peccans.

Quod spectat ad internas causas peccati, tres à Theologis communiter numerantur; scilicet ex parte appetitus inferioris, infirmitas seu passio; ex parte verò appetitus superioris seu voluntatis, malitia; ex parte denique intellectus, ignorantia. Ita S. Doctor q. 76. 77. & 78. de duabus prioribus hinc aliquid dicemus; de tertia, de qua graviores aliquot difficultates occurrunt, in seq. sect. agemus.

Ac in primis quod peccatum aliquando causetur ex motibus & passionibus appetitus inferioris, testatur scriptura: Dan. 13. *Concupiscentia subvertit cor tuum: Rom. 7. Non deo legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & concupiscentem me in lege peccati.*

Causatur autem peccatum ab ipsa concupiscentia seu passione appetitus sensitivi duobus præsertim modis, ut docet S. Thom. quæ. 77. a. 1. primo, in quantum distrahit & divertit ipsius rationis advertentiam; secundo, in quantum voluntatem ipsam allicit, facitque ut objectum magis conveniens & appetibile videatur: utrumque modum expressit Sanctus Iacobus Cap. 1. cum dixit: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* In tale peccatum quod ex passione oritur, dicitur etiam ex infirmitate procedere, eò quod passiones (ut affe-

rit S. Doctor, artic. 3.) sint quædam veluti animæ
 zgritudines & infirmitates; quæ quidem duplici modo
 (ut idem docet art. 6.) se habere possunt. Primò antecede-
 ter ad ipsum rationis iudicium; cum scilicet homo,
 antequam attendat ad malitiam actus sui, passione aliqua
 præoccupatur: & tunc, si adeò vehemens illa sit, ut ipsius
 rationis iudicium profus obnubilet, ita ut homo ad ma-
 litiam sui actus propter vehementiam passionis attende-
 re non possit, nullum erit peccatum; cum nulla sit rationis
 deliberatio, sine qua consensus liber esse non potest: si ve-
 ro passio non tollat iudicium rationis, sed illum tantum
 ex parte distrahat aut impediatur, ita ut ratio sufficienter
 advertant malitiam ipsius actus; tunc non excusat à pec-
 cato, illius tamen gravitatem minuit: unde S. Aug. lib. 14.
 de civ. c. 2. asserit peccatum primorum parentum ideo gra-
 vius fuisse, quia nondum voluntati cupiditas resistebat quasi
 diceret peccatum illud futurum fuisse minus grave, si ex
 antecedenti cupiditate commissum fuisset.

Secundo passiones habere se possunt consequenter; id
 est quando homo deliberatè se ipsum ad malum aliquod
 excitat, unde sequitur passio aliqua in appetitu inferiori:
 tunc enim passio illa neque excusat à peccato, neque il-
 lius gravitatem minuit, sed potius auget, ut asserit S. Tho-
 mas Suprà estque signum maximæ propensionis, quæ est
 in ipsa voluntate, ad actum peccati perperrandum.

Iam etiam quod peccatum causetur ab ipsa malitia seu
 pravitate voluntatis, ita ut homo aliquando ex certa &
 deliberata malitia peccet, constat ex scriptura: Iob. 34.
*Quasi de industria recesserunt à Deo, & omnes vias eius intelli-
 gere noluerunt.* Docet autem S. Thom. q. 78. a. qu. peccatum
 illud, quod ex certa & deliberata malitia committitur, il-
 lo gravius esse quod oritur ex infirmitate

& passione; quia scilicet ex ma-
 jori voluntatis libertate
 procedit.

SEC-

SECTIO VII.

*Qua ratione ignorantia sit causa peccati, vel
ab illo excuset.*

UT quaestioni propositae satisfiat, supponimus ex com-
muni Theol. doctrina ignorantiam aliam esse juris,
liã facti. Ignorantia juris est, cum ignoratur legem vel con-
suetudinem, vim legis obtinentem aliquid precipere vel
prohibere: v. g. si quis nesciat legem Ecclesiasticam probi-
bere carniū comestionem die veneris. Ignorantia facti
est, cum ignoratur res aliqua particularis, quae precipere
vel prohibita est, & ex qua velut ex objecto dependet
actio aliqua moralis: v. g. si quis nesciat carnem esse quam
comedit, vel non advertat esse diem veneris: ut enim res
monet Hæmb. qu. 6. disp. unic. art. 9. ea, quae de ignorantia
dicuntur, de inadvertentia quoque & oblivione intelligi
debent.

Rursus alia est ignorantia antecedens, alia concomi-
tans, alia subsequens. Ignorantia antecedens ea est, quae
nec directè nec indirectè voluntaria est; ideoque antec-
dens appellatur, quae omnem voluntatis actum antec-
dit: & eadem dicitur invincibilis & probabilis seu ius-
tè invincibilis, quando nulla diligentia vinci potuit: probi-
bilis verò seu injusta, quando etsi absolute loquendo
omni adhibita diligentia quae adhiberi potest vinci pot-
uit, non tamen debuit; quia nulla fuit obligatio adhiben-
di majorem diligentiam ea, quae adhibita est, cum qua
tamen superari non potuit; ideoque dicitur moraliter
vincibilis.

Ignorantia concomitans est, quando ignoratur ob-
jectum, quod tamen si sciretur, nihilominus ageretur, v. g.
quando quis existimans se occidere feram, inimicum occi-
dit, ita dispositus tamen, ut si inimicum esse cognovisset,
nihilominus occidisset.

Igro-

Ignorantia denique consequens ea est, quæ aliquo modo voluntaria est, & voluntatem directe vel indirecte consequitur; quæ etiam dicitur vincibilis, quia diligentia aliqua adhibita vinci potuit ac debuit, dividiturque in affectatam, & eam quæ affectata non est. Affectata est directe volita; v.g. cum quis expresse vult aliquid ignorare ut liberius peccet: ea verò quæ non est affectata, indirecte tantum volita est: v.g. quando quis refugit laborem alicuius studii, unde ignorantia rei alicuius sequitur. Hac distinctione supposita.

Dicendum 1. ignorantiam aliquando esse causam peccati. Id patet ex scriptura: Act. 3. *Nunc scio fratres, quia per ignorantiam fecistis*: 1. Timoth. 1. *Ignorans feci in incredulitate*. Quod etiam docet S. Thomas quæst. 76 art. 1. ubi docet non quamlibet ignorantiam esse causam peccati, sed illam tantummodo quæ vincibilis est, & nihilominus tollit notitiam aliquam, quæ si adesset, actum peccati prohiberet, iuxta quòd dixit Apostolus loquens de Iudæis, 1. Cor. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent*.

Dicendum 2. ignorantiam vincibilem non solum esse causam peccati, sed etiam esse peccatum ratione negligentiae adiunctæ, qua quis negligit ea scire, quæ scire tenetur & potest. Ita S. Doctor art. 2. & constat ex scriptura: Psal. 24. *Delicta iuventutis mea, & ignorantias meas ne memineris*: & ex S. Aug lib. 1. de lib arb. cap. 19. *Non tibi imputatur ad culpam, quod inuitus ignoras; sed quod negligis querere, quod ignoras*.

Dicendum 3. ignorantiam antecedentem invincibilem tam iuris quam facti omnino à peccato excusare. Ita S. Thom. art. 3. & cum illo communiter omnes: & probatur 1. ex his Christi Domini verbis S. Io. 15. *Si non venissem, & eis locutus non fuisset peccatum non haberent: super quæ verba S. Aug tract. 89. in S. Ioan. dicit illos, Ad quos Christus non venit, & quibus non est locutus, excusationem habere; non de omni peccato suo, sed de peccato illo quo in Christum non crediderunt* Et S. Bern. Epist. 77. ad Hugonem de S. victore eadem Christi verba explicans, *si, inquit, locutus fuisset sed non eis, inobedientia culpam ignorantia excusaret.* Pro

Probatur 2. hac ratione : ignorantia illa à peccato excusat, quæ ab actione peccati quatenus talis est, tollit rationem voluntarij; peccatum enim nullum est quin sit voluntarium : atqui ignorantia antecedens tollit rationem voluntarij ab actione peccati, redditque illam simplicitè involuntariam, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 5. a. 8. & cum illis Theologi omnes: ergo à peccato excusat.

Dicendum 4. ignorantiam concomitantem quando invincibilis est a peccato excusare. Ita Isamb. disp. unic. artic. 8. ad quæst. 76. & plures alii quos ibidem citat. Ratio est, quia ignorantia illa (ut docet S. Thom. cit. art. 8.) etiam non faciat actum involuntarium, facit tamen non voluntarium; & sic in ejusmodi actu non reperitur ratio voluntarij, sine qua peccatum nullum esse potest.

Dicendum 5. ignorantiam consequentem sive affectatam sive minime affectatam, nunquam excusare à peccato opus malum quod ex illa fit, quia scilicet non impedit quin tale opus sit voluntarium: hæc est tamen inter utramque differentia, quod ignorantia illa quæ non est affectata, minuit peccatum, quia minus voluntarium reddit; ea verò quæ est affectata, peccatum non minuit; sed potius auget, ut observat S. Doctor. q. 76. a. 4.

Quæres an possit esse ignorantia aliqua invincibilis iuris naturalis. Resp. 1. universalissima ipsius iuris naturalis principia à quovis homine adulto neque invincibiliter neque vincibiliter ignorari posse, cuiusmodi sunt hæc: *bonum esse faciendum: malum fugiendum: nemini iniuriam inferendam.* Ita S. Thom. q. 94. a. 6. sunt enim hæc universaliter & per se notæ humanarum actionum regulæ, unicuique hominum naturaliter insitæ: unde S. Aug. li. 2. de lib. arbit. 10. *Iuste, inquit, esse vivendum, propria suis quibusque esse videnda. &c. nonne fateberis esse verissimum? & tam mihi, quam tibi, atque omnibus id videntibus præsto esse communiter.*

Respondetur 2. iuris naturalis, quoad alia quædam principia minus universaliter, ignorantiam invincibilem esse posse in quibusdam hominibus etiam toto vitæ tempore: manifestum est enim multa esse juri naturali re-

pugnans
iam à d
esse igno
in ejus
cium ab
vendun
doctissi
ter se d
actu aliq
abeunt
gantibus
quosda
turalis

TR
Pri
nu
docet
num c
tiam sp
tuitur
ration
natio
nus ra
bonur
primi
eo sen
bus na
minui
nale p
nem se
quide
tur, pu
pugnans

pugnancia, quæ non solum ab indoctis & rudibus, sed etiam à doctis & ingenii acumine præcellentibus viris talia esse ignorantur: nam & Cassianus olim aliisque S. viri) ut in ejus collationibus habetur) existimaverunt mendacium aliquando esse licitum ad bonum aliquod promovendum aut malum impediendum: multiq[ue] nunc etiam doctissimi viri, & in Theologia versatissimi dissentiant inter se de re aliqua ad jus naturæ pertinente; y. g. de contractu aliquo, utrum sit usurarius aut aliàs injustus, necne; abeuntq[ue] in partes contradictoriè oppositas, aliis negantibus, aliis è contrario affirmantibus: unde sequitur quosdam illorum ignorantia aliqua invincibili juris naturalis laborare.

SECTIO VIII.

Quinam sint effectus peccati.

TRES præcipui communiter à Theologis numerantur. Primus est, quòd lædat hominis naturam ejusq[ue] bonum imminuat Ita S. Thom. art. 1 & 2. quæst. 85. ubi docet bonum naturæ in homine triplex esse: primum bonum consistit in ijs, quæ ad ipsius naturæ humanæ essentialitatem spectant; ut sunt principia quibus ipsa natura constituitur, & proprietates quæ ab illis oriuntur: ut sunt esse rationale, esse liberum, &c. Secundum bonum est inclinatio illa & propensio, quam homo ex natura sua, quatenus rationalis est, habet ad virtutem. Tertium denique bonum est donum originalis justitiæ, quod in persona primi hominis universæ humanæ naturæ collatum fuit; & eo sensu bonum ipsius naturæ vocatur. Ex his autem tribus naturæ bonis docet S. Doctor, primum nec tolli nec minui per illum peccatum; tertium per peccatum originale penitus ablatum fuisse; secundum verò, inclinationem scilicet illam naturæ humanæ ad virtutem, imminui quidem per peccatum, cum ejus actus virtuti opponatur, nunquam tamen penitus auferri.

Secun-

Secundus peccati effectus est macula quædam & deformitas, quam anima per peccatum contrahit, & qua transfacto ipsius peccati actu in ea remanet. Ita S. Thom. art. 1. & 2. quæst. 86. & constat ex scriptura; Iosue 22. *peccatum in Beelphegor, & usque in presentem diem macula huius sceleris in nobis permanet*: Ierem. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus*: Item ex aliis scripturæ locis, in quibus peccatores dicuntur inquinati, immundi, &c.

Hæc autem peccati macula, secundum probabiliorum Theologorum sententiam, nihil est aliud quam ipsamet peccati malitia, quatenus etiam transfacto actu peccati consuetudine ac perseverare, quamdiu per penitentiam non deletur: quæ quidem macula vocatur etiam peccatum habituale, eo quod veluti habitualiter post peccatum actu commissum remaneat in anima.

Est tamen hic obseruandum peccatum illud habituale distinguendum esse à vitioso habitu, seu à praua illa inclinatione & propensione, quæ per repetitos peccati actus ingeneratur in anima, in eaque remanet etiam postquam ipsa peccati macula per gratiæ infusionem deleta est: nec nisi per contrarios & sæpe repetitos virtutis actus tollitur.

Tertius denique peccati effectus est reatus poenæ: reatum est enim poenam aliquam peccatis hominum diuinitus esse decretam: S. Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, frater meus erit gehenna ignis*: Rom. 2. *Tribulatio & angustia in eum animam hominis operantis malum*. Hæc autem poenæ cum iuste à Deo decernatur, supponit peccatorem illa dignum esse; illiusque reatum per peccatum incurere.

Porro circa hunc tertium peccati effectum obseruandum est non omnem poenam esse propter aliquod peccatum; cum constet quædam interdum huius vitæ poenitates iustis & sanctis à Deo infligi, non in punitionem peccatorum, sed ad probationem & exercitamentum virtutis: quod de sanctissima virgine Dei para nullus negare potest, & de plurimis aliis sanctis pietas facile suadebit.

Obseruandum est quod quamvis peccatum per se & formaliter

maliter consideratum non possit esse pœna peccati alterius, ut docet S. Thom. q. 87. potest tamen esse per accidens modo quem ibidem explicat, ratione scilicet subtractionis gratiarum aliquarum actualium, quorum auxilio Deus inderdum peccatorem privat in punitionem præcedentis peccati, unde sequitur lapsus in aliud peccatum.

Quæres, quanta pœna cuique peccato actuali diuinitus decreta sit, Resp. cum distinctione: si enim id quærat de peccato mortali, certum est ex fide pœnam æternam siue damni siue sensus unicuique peccato mortali esse constitutam. De pœna damni quæ consistit in priuatione visionis beatificæ constat ex S. Matth. 8. ubi dicitur quod reprobi *Eijcientur in tenebras exteriores.* De pœna verò sensus eiusdem S. Matth. 25. *discedite à me maledicti in ignem æternum.* cum autem dicitur pœna æterna cuique peccato mortali constituta, id intelligendum est (ut rectè docet Isam ad q. 7 disp. 2. a. 3. non solum de perpetuitate ipsarum pœnarum quantum ad durationem, sed etiam de earundem pœnarum immutabilitate; ita ut nullam earum imminutionem nullumve in suppliciis solatium unquam experturi sint damnati: unde etiam Is. ultimo dicitur quod *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Quam verò iuste Deus ob unicum peccatum mortale, quod aliquando breuissimum & quasi momentaneum est, pœnam æternam decreuerit iam à nobis dictum est, 1. p. tra. 4. c. 3. sect. 4. quod insuper etiam hac ratione demonstrari potest; quia scilicet actio peccati, quamuis secundum se spectata, breuissimo tempore duret, nihilominus secundum affectum peccatis quasi in totam æternitatem protenditur: qui enim (ut rectè dixit S. Doctor) lib. 3. cont. gent. cap. 144 propter fruitionem temporalem boni alicuius temporalis relinquit æternam summi & æterni boni fruitionem, (quod facit quicumque mortaliter peccat) rectè ac iuste censetur bono illo temporali in æternum frui velle; proindeque peccatum suum, quod in boni il-

in boni illius temporalis inordinata fruitione consistit, in totam aeternitatem velle prorogare: ex quo fit, ut cum illud peccatum sit in affectu aeternum, iusto Dei iudicio poenam aeterna dignum esse censeatur.

Si verò quaestio intelligatur de peccato veniali, certum est ex fide peccata venialia in omnibus iustis five in hac vita siue in futura non esse punienda poena aeterna, sed solummodo temporalis; sicut ex eadem fide certum est, homines iustos in accepta iustitia, quae ad mortem perseverantes aeterna beatitudine in aeternum non esse priuandos.

Est tamen difficultas de peccatis illis venialibus, cum quibus peccatores & reprobis ex hac vita decedunt: Scotus enim in 4. dist. 21. & quidam alii Theologi existimant poenam illis venialibus peccatis debitam, futuram esse tantummodo temporalem, probabilius tamen alii cum Doctore q. 8. 7. a. 5. ad. 3. asserunt, poenam illam fore aeternam, non tam ratione grauitatis, quam irremissibilitatis ipsius peccati venialis: cum in inferno nullus neque remissioni, neque redemptioni locus sit.

DIGRESSIO.

De loco inferni, & damnatorum suppliciiis.

CVM inter ceteros effectus peccati acerbissimus & maximè formidandus sit aeternae poenae reatus, ut illius acerbitas melius perspiciatur, non erit abs reo loco & qualitate poenarum illarum aeternarum hic pauca agere, ac quid de illis secundum fidei Catholicae regulam sentiendum sit, declarare.

Dicendum igitur 1. infernum seu carcerem damnatorum poenis deputatum, esse locum aliquem realem & corporeum, in ipsis terrae visceribus situm, Ita S. Thom. in sup. q. 97. a. 7.

Hæc veritas constat ex scriptura: Numer. 16. *Dirupit*

terra sub pedibus eorum; &c. descenderuntque vivi in infernum aperti humo, Iob 10. Infernus vocatur terra tenebrosa, & aperta mortis caligine.

Constat etiam eadem veritas ex antiquis patribus qui id asseruerunt, ut Tertullian. lib. de ani. cap. 55. *Nobis, inquit, inferi, non nuda canositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur; sed in fossa terra & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.* S. Athanasius in quaestionib. *Peccatorum, inquit, anima in inferno posita sunt super omnem terram & mare ut in psalmista dicitur: p'suerunt me in lacu inferni, in tenebris, & in umbra mortis,* & S. Cyril. Alexand. de exitu animæ, *Tunc, inquit, animam inuadunt demones, eamque in terrarum opaca deducunt, & solidissimis compedibus revinctam in infimas infernorum carcerum partes ac erebi custodias deiciunt.*

Porro quantæ & quàm amplæ regiones, quàm vasti recessus in ipsius terræ sinu reperiantur, ex Cosmographorum demonstrationibus satis apertè dignosci potest: sùm secundum communem & probabiliorè illorum sententiam, ab extrema terræ superficie ad illius centrum mille ac quingentæ & ampliùs leuæ numerentur, quæ totius ambitus illius semidiametrum efficiunt: unde secundum Arithmeticorum numerorum rationem colligitur imensa propè esse spatia quaquavertum in terræ visceribus protenta, in quibus proinde varia receptacula eaquè amplissima constitui possunt, sive pro iustis ad tempus determinatum purgandis, sive pro reprobis in æternum pœniendis, sive pro Limbo puerorum ex hac vita cum solo originali peccato decedentium.

Dicendum 2. ignem verum & corporeum in inferno reperiri, eoquè tum corpora, tum animas ipsorum reproborum in æternum cruciari. Ita S. Thom. in supp. qua. 97. a. 5. & constat ex scriptura Is. 33. *Conterriti sunt in Sion peccatores, p'ssedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* & Apoc. 19. *vocatur infernus stagnum ignis ardentis sulphure.*

Idipsum

Id ipsum docent SS. Patres. S. Cypr. ser. de Ascens. Christi. *Immortales, inquit, miseri uiuent inter incendia, & inconfusibiles stamma nudum corpus allament: ardebit purpuratus diues; non erit qui aestuanti lingua stillam aqua infundat in proprio adipe frige libidines bullient: & inter sarragines suas meas miserabilia corpora cremabuntur.* S. Greg. M. lib. 4. de log. cap. 28. *Sicut, inquit, electos beatitudo latificat, ita necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.*

Dicendum 3. præter ipsius ignis sensibile tormentum plures alias & varias poenas ipsis damnatis infligi. psalm. & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum: Job 16. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium; id est (replecat Hugo Cardinalis) quod impii in inferno de poena ad poenam transibunt: Apoc. 18. In una die uenient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & c.*

Id ipsum quoque affirmant SS. patres: ut S. Basil. in Psa. 33. ubi dicit in inferno post iudicium ultimum fore *verum innumerabilem genus venosum ac carniuorum, sitiatum quidem semper, nec tamen se exsatiens, indolerabilem dolo morsibus infigens* S. Cyril. cit. orat. de exitu animæ: *Nulla in inferno scilicet inhumani ergastuli, tenebriosus carcer, insubilia vincula vi nulla refringenda catena, veri & intrasulabiles ministri, graues illa ad supplicium adhibentur scutis, semivungues & infracti; pradura flagella, pix nebulosa, & strigantans, sulphur graue olens, atra cūbilia, pyra semper ardens, veridus & olens vermis, & c.* S. Aug. epist. 211. ad Iulianum, *nam quibus præparatur dolor vermium ardor, stamma, sitis inextinguibiles, stetus, ac stridor dentium, oculorum lacryma, tementæ exteriores, & c.*

Quare eundem S. patrem audiamus sic concludentem. ferm. 81. de temp. in vig. pentec. c. 18. *hac recordare, & ignem illum gehenna his, quate nunc exagitant, stammis libidinis & cupiditatis opponet; ignis hic, qui in presenti est vita, absumit cuncta quæ recipit; ille verò quos suscepit, semper cruciat, & poena sua semper integros seruat: propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solum quia ipse non extinguitur, sed quia nec qui quos suscepit, extinguet aut pertinet.*